



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tribunal Poenitentiæ Sev Libri Dvo Prior De Poenitente Ut
Reo Posterior De Confessario Ut Judice**

Stoz, Matthäus

Anno M.DC.LXXXIX.

Sect. VI. De Personis ad Sigillum obligatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37144

cramento Pœnitentiae, illudque iis reddit
valde odiosum; ergo hoc ipso jam etiam
cedit in gravem irreverentiam Sacramen-
ti; neque datur in tali usu quoad hoc,
sive quoad malitiam suam contra Religio-
nem parvitas materiæ. Atque ita corruit
argumentum paulo antè in contrarium al-
latum.

Unde ulterius addo, nūquā posse
aliquem licet uti notitia confessionis in
dubio de molesta pœnitentis, sed debe-
re esse moraliter certum, quod nulla in-
tercedat; vel debere habere pœnitentis
licentiam, & quidem non præsumptam,
sed expressam. Ut proinde sigillum habeat
hoc solam peculiare, quod id neque tunc
aperiri possit, quando moraliter certum
est, pœnitenti non fore id incommodo,
sed etiam in eo casu necessaria sit ejus ex-
pressa licentia.

257. Ex prædictis omnibus patet, in
quo sensu verum sit illud S. Bernardi: *Nihil minus scio, quam quod ex confes-
sione scio; vel illud aliorum DD. Confes-
sarius ita se gerere debet extra confes-
sionem, ac finib[us] unquam audivisset in con-
fessione.* Nil enim hujusmodi dicta aliud
volunt, quam quod confessarius ex audi-
tis in confessione, & sub sigillum cadenti-
bus, adeo nihil possit aliis, vel etiam ipsi
pœnitentis, vel complicis incommodum
agere vel omittere, extra confessionem,
& sine ejus licentia, ac si ex iis nihil pror-
fus sciret, nihil unquam totâ suâ vita
audivisset, ut haber Regula *sup.
n. 247. tradita.*

* *

SECTIO VI.

De Personis ad sigillum obligatis.

258. Omnes illi obligantur sigillo, qui
notitiam alicujus peccati vel alterius rei,
ad sigilli materiam spectantis, ex confes-
sione Sacramentali acquisiverunt, me-
diatè vel immediatè, licet vel illicitè, ut
habent DD. relati *sup. n. 200.* Estque
universalis & certa Regula teste Fag.
sup. n. 203. Juxta quam possumus omnes
obligatione sigilli constrictos ad quatuor
clases revocare.

§. I.

*De iis, qui notitiam ex Confessione
aceperunt immediatè & licitè,
vel illicitè.*

I. Classis est eorum, qui notitiam
v.g. peccati ex confessione Sacramentali
aceperunt immediatè & licitè. Horum
I. & præcipuus est confessarius legitimi-
mus. Fag. *Præc. 2. lib. 6. cap. 6. n. 1.* ex
communi, sub quo comprehendimus
etiam illos, de quibus diximus *sup.
n. 216.* II. Sacerdos, cui invito, & ab
initio statim contrà protestanti, aliquis
nihilominus adhuc sua peccata ita con-
fiteretur, ut exaudiatur. *sup. n. 185.* ex Lug.
& Diana contra Fag. *Præc. 2. lib. 6. cap. 6.
n. 11.* III. Interpres; & IV. internum-
nius *sup. n. 212.* V. omnes, qui audiunt
peccata aliorum, ex necessitate instantis
naufragii, prælii, ruina &c. publicè con-
fitemur; uti & VI. qui alterius pecca-
ta casu aliquo, & præter vel contra vo-
luntatem suam audit, dum forte pra-
terit, vel necesse habet vicinius adstare, aut
accum-

accumbere. *sup. n.* 218. Huc etiam revocantur VII. illi, quos pœnitens ante confessionem consulit de aliquo suo actu, an teneatur illum confiteri? quomodo quoad substantiam, circumstantias: &c. quibus verbis in lingua non satis nota? v.g. latina, italica &c. *sup. n.* 212. & 213. VIII. qui scribit peccata alterius, ideo ea dictantis, quia tunc ipse scribere non potest, nec confiteri nisi ex scripto *sup. n.* 214.

259. IX. Qui videt aliquem extraordinario cuidam confessario clam &c in loco occulto confitentem; contra Lug. *Diss. 23. n. 67.* dissentientem ex principio jam *sup. n. 232.* refutato. Etsi enim ille, de quo agimus, nullum ex peccatis confessus audiat; ex ipsa tamen hac clancularia confessione, ejusque aspectu accipit notitiam quandam alicujus reservati, vel alterius gravis peccati: sicut si aliquis videbet gestus, per quos confitetur mutus, indeque conciperet notitiam aliquam de ejus peccatis. Confirmatur; Confessarius, qui auditivit confitentem, non potest salvo sigillo dicere in hoc casu, eum esse sibi confessum. *sup. n. 241.* ergo nec ille, qui videt confitentem. X. Superior, à quo subditus per seipsum petit facultatem pro absolutione alicujus sui casus reservati, ab alia obtinendâ. Lug. *cit. Diss. 23. n. 35.* Dian. *p. 5. 1r. n. Ref. 12.* & multat illi apud ipsum contra Coninch. *Diss. 9. n. 47.* & alios, quia subditus hoc ipso accusat se de reservato suo peccato apud superiorum, & quidem in ordine ad absolutionem Sacramentalem, ergo hoc ipso facit superiori confessionem talem, quæ obliget ad sigillum. *sup. n. 185.* sicut etiam est illa, in qua superior reservava-

tum tantum peccatum subditi audit, & solam reservationem tollit; pro absolutione autem Sacramentali illius, uti & cæterorum peccatorum, si quæ habet, remittit ad alium. Neque obstat, quod subditus tunc, cum petit facultatem, non habeat dolorem de peccato, nec propositum emendationis, nec animum impenetrandi absolutionem à superiore, sed ab alio; Nihil enim horum est necessarium requisitum ad confessionem sigilliferam. *sup. cit. n. 185. & 210.*

260. II. Classis est eorum, qui ex confessione Sacramentali notitiam v.g. peccati acceperunt immediatè, sed illicite. Horum I. est Laicus, aut Clericus, qui malitiosè fingit se esse confessarium legitimum, cum non sit. *sup. n. 117.* II. Laicus, cui quis scienter confitetur, ratus id hinc & nunc valere, ibid. III. qui dedita operâ facit, ut peccata, de quibus se pœnitens coram Confessario accusat, etiam ipse furtivè percipiat. Bonac. *tom. 1. Diss. 5. q. 6. secl. 5. p. 3. n. 6.* & alii communiter. Ad hos etiam reducuntur. IV. illi, qui scriptam alterius confessionem legunt, *sup. n. 215.*

§. 11.

De iis, qui notitiam ex Confessione acceperunt mediatè, & licite vel illicite.

261. III. Classis est eorum, qui ex confessione Sacramentali notitiam, v.g. peccati acquisiverunt mediatè tantum, sed licite. Sunt autem I. illi, quibus confessarius vel alii audit in confessione Sacramentali revelant cum legitima licentia pœnitentis, de quibus *sup. à n. 199.* II. illi,

illi, quos confessarius cum licentia pœnitentis de auditis in ejus confessione consult, iisque simul etiam de persona pœnitentis indicium præber, sed inculpabiliter, quia id facit proorsus ex indeliberto vel inopinato; vel ex licentia pœnitentis, eò quod sine notitia personæ non possit bene dare consilium. Bonac. l.c. n. 4. Fagund. Præc. 1. lib. 6. cap. 6. à n. 21. Laym. lib. 5. tr. 6. cap. 14. n. 18. in fine. Lug. l.c. n. 25. Dicast. n. 54. & alii communiter contra Palao cit. p. 19. §. 4. n. 8. Vsq. & alios apud ipsum. Rationes vide sup. n. 201. & seq. quibus adducuntur Dicast. quod ejusmodi Confessarius sit interpres Juris, ergo non minus, quam alius, qui est interpres facti, seu peccatorum commissorum, obligatur sigillo. III. Superior, cui confessarius, cum facultatem absolvendi pœnitentem à Casu reservato petit, simul etiam personam pœnitentis manifestat; sive jam ex inculpabili inadvertentia; sive cum licentia pœnitentis, ut sit, si alioquin superior justè negaturus sit facultatem. Reginald. l. 3. n. 26. Bonac. l.c. n. 2. Lug. n. 34. Dicast. n. 41. & alii contra Palao l.c. n. 10. & alios. Ratio, quia notitia, quam superior à Confessario hic accipit de peccato & persona pœnitentis, dependet à prævia confessione Sacramentali, ergo est Sacramentalis & subiecta sigillo. IV. Superior, à quo Confessarius petit facultatem absolvendi à reservatis, proorsus testam persona pœnitentis, quam peccati specie. Superior enim frangit sigillum, qui alius dicit, in sua domo petitam esse, aut peti facultatem talem. Dian. p. 5. tr. II. Ref. 45. vide etiam sup. n. 227. Unde V. Ille etiam Superior obligatur sigillo, qui,

postquam dedit Confessatio facultatem absolvendi à reservatis pœnitentem, pro quo testo ejus nomine & persona perebatur, casu deinde intervenit, cùm v. g. Caius illi confessario constitetur; ut constat ex dictis sup. n. 259. Imò quia hic superior notitiam de peccato reservato Caij non habet tantum ex illius confessione, quam videt; sed simul etiam ex priùs petita & data facultate absolvendi à reservatis; ideo ratione hujus teneretur adhuc ad sigillum, etiamsi deprehendisset, Cajum confiteri eidem confessario in publico. Vide de his Fag. l.c. n. 2. & Tamb. de conf. lib. 5. cap. 4. §. 2. & seq.

262. IV. Classis est eorum, qui ex Sacramentali confessione notitiam v. g. peccati acceperunt etiam tantum mediata, sed illicitè. Et sunt I. illi omnes, quibus confessarius, vel quivis alius peccatum pœnitentis, ex sola ejus confessione sibi notum, sine ejus licentia revelavit directè vel indirectè, deliberatè vel indeliberaliter v.g. in ebrietate, amentia &c. II. omnes alii, ad quos à prædictis successivè per quamcunque longam seriem notitia peccati dimanat. Fag. Præc. 2. lib. 6. cap. 5. n. 20. & cap. 6. n. 28. Dian. l.c. Ref. 7. & alii omnes præter Medinam teste Lugone n. 38. Ratio, quia omnis haec notitia ratione primæ sua originis est, & semper manet Sacramentalis. III. itaque etiam Judices, si ad eos tandem etiam ex illicita Sacramentalis confessionis revelatione perveniat notitia delicti. Fag. l.c. cap. 4. à n. 28. & est communis DD. sententia teste Dicast. n. 57. Unde si Judex videat notitiam delicti, ad se delati, ortam esse ex malè revelata confessione, vel etiam tantum ex lgeata scheda scripta

De ipso Pœnitente.

scriptæ confessionis , tunc non potest de tali delicto ullam inquisitionem aut processum instituere ; & si forte bonâ fide, vel ex ignorantia tam vitiosi ortûs jam instituit, tenetur, quamprimum advertit, abrumpere , omnia acta pro infectis habere , ipsam quoque sententiam damnationis, si forte jam tulit, tanquam nullam & irritam retractare , reūnque liberum dimittere ; quia forum internum, & notitia delicti , ad illud forum pertinens, non habet, nec habere potest ullum commercium cum foro externo. Reginald. l.3, an.29. Dian. p.5. tr.ii. Ref.27. v. unde.

263. Tanta porrò est obligatio Confessarii, & aliorum, de quibus diximus, ad sigillum , ut si quando illorum aliquis non pes sit proprium suum peccatum confiteri sine revelatione sigilli de alieno peccato (ut fieri potest, si quandoque Confessarius debet suo pœnitenti, vele i, cui pœnitens est valde notus, confiteri) tunc potest & tenetur illud proprium suum peccatum reticere , etiam in articulo mortis. Lug. Disp. 23. n. 144. Tamb. de conf. l.5. c. 2. n.5. Fag. l.c. n.9. & seq. Bonac. tom. 1. Disp. 5. q.6. sect. 5. n.21. & aliis communiter contra Gabr. & Socrum, quorum sententiam non esse probabilem censet Suar. eamque esse temerariam docet Fag. Ratio, quia obligatio sigilli est major quam obligatio faciendi confessionem cum integritate materiali ; ut patet ex eo , quod in multis casibus licitissimè possimus confiteri tantum cum integritate formalis. sup. l.1. p.3. à n.56. si gillum autem aperire in nullo casu licitum sit, nisi tantum ex ultronea pœnitentis li- centiâ, sup. n.190.

264. Ipse tamen pœnitens non obligatur sigillo ad tacenda ea , quæ in Confessione ipse vel Confessarius dixit , aut egit. Est communis apud Coninch. Disp. 9. n.37. Tamb. l.v. cap. 4. §.1. n.1. Dicast. cit. Disp. 12. n.178. quia obligatio sigilli imposita est Confessario, & aliis in favorem pœnitentis , & reverentiam Sacramenti; atqui pœnitens potest liberè, & sine omni irreverentia Sacramenti ceder suo favori. sup. n.187. aliisque obligationem sigilli remittere , ergo cum hanc habeat à sua libera voluntate pendenter, non potest ipse eā obstringi. Deinde pœnitens non agnoscit commissos tunc à Confessario defectus ex ejus confessione, ergo nec sub sigillo ; cum hoc non nisi ex confessione oriatur, Dicast. l.6.

Nihilominus tamen pœnitens obligatur vi naturalis secreti ad ea occukanda, quæ à Confessario tunc forte imprudenter & malè acta vel dicta fuerint; ita ut etiam mortaliter peccet prodendo aliquid , ex quo Confessarii fama aut honor notabiliter laeditur: Nisi vel lex Charitatis, vel Jus commune ob bonum publicum jubeat manifestare aliquod Confessarii delictum in excipiendis confessionibus perpetratum, uti est sollicitatio ad venerea, machinatio mali contra Rempubl. veletiam tertium. &c. Tan. tom. 4. Disp. 6.

q. 9. n. 135.

* *

S E